

***Ritus ordinationis episcopi***

*Primum oratio principii et psalmus consuetus, Miserere mei. Archidiaconus offert incensum, et dicit : Benedic Domine. Stemus pulcre in oratione, et reliqua. Episcopus ponit aromata et precatur. Interea dicitur Ego sum lumen.*

Cum acceperunt apostoli in coenaculo Spiritum-sanctum paraclitum ; egressi sunt, docuerunt, et praedicaverunt mundo fidem veram, et gradus sacerdotii ordinaverunt ; constitueruntque in eo pastores, qui gregem Christi pascerens in rectitudine et justitia, usque ad finem et consummationem. Benedictus qui ordines sacerdotii in terra magnificavit, et sursum in caelis, eique in excelso, in profundo, et in omnibus partibus auctoritatem plurimam dedit. Ecce in medium ecclesiae ea deducitur et circumfertur in capite sacerdotii, in ordinibus superioribus et inferioribus diaconorum, sacerdotum, pontificum, et pastorum.

*Episcopus thus accipit. Diaconus clamat Ephremeticum. Verte retro quatuor folia in ordinatione chorepiscoporum et illud invenies. Tum dicunt : Sanctificasti Deus. Et eum ducunt duo chorepiscopi, unus a dextra ejus, et unus a sinistra. Tum archidiaconus dicit :*

Offerimus sanctifitati tuae, ô Pater noster sancte, et electe Dei, Domine N.metropolita noster hunc Dei amantem N. qui hunc accedit, et impositionem manus divinae accepit ex ordine chorespicopi, qui excelsior est et dignior archipresbytero super altare sanctum Domini sancti N. urbis benedictae et Christum amantis N. Est autem subditus beatitatis tuae, Pater noster, pro eo procemur, et oremus Deum, dicamusque tribus vicibus Kyrie eleison.

*Episcopus precatur, et stat in faciem ejus, circumducuntque eum per ecclesiam dicentes Pesitam.*

Benedictus est ille qui dedit sacerdotium apostolis duodecim, et misit eos in mundum, sicque dixit ei, quod si ligaveritis, ego ipse ligabo; si autem solveritis, ego ipse solvam. Ipse dedi vobis claves excelsi et profundi. Ordinem sacerdotii constituite in omnibus ecclesiis.

*Altera oratio*

Tibi laus Deus, Domine terrae et caeli, qui donum servo tuo dedisti, ut gubernet secundum voluntatem tuam. Exultet in eo et in praeceptis ejus Ecclesia sancta, omnesque filii ejus ex ipsius doctrina laetificentur ; et cum exorta fuerit divinitas tua in occursum tuum cum gaudio egredietur.

*Psalmus. Laus ei. Et Apostolus epistola ad Hebraeos. Ista scribuntur in ordine archipresbyteri. Episcopus autem legit evangelium ex Johanne, et archidiaconus dicit alta voce, Christe Deus omnium.*

Tu ille es qui elegit sibi in medio ecclesiae suae sanctae, sacerdotes, castos, veraces, qui sacerdotio cum puritate sungerentur, et concorditet cum coeribus Seraphim superiorum amore arderent et commoverentur.

Precemur, Christe Deus omnium.

Ille qui est cognitor occultorum, et scrutator cordium et renum, elegit et obtulit hodie hunc servum Dei N. in ordinem excelsum et sublimem Aaronis capitis sacerdotum et primi patrum.

Oremus, Christe Deus omnium.

Tu ille es quem Cherubim benedicunt, quem Seraphim sanctificant, angeli laudant, vigiles exaltant, igniti glorificant, et spirituales celebrant.

Supplicemus, Christe Deus omnium.

Ill in cujus conspectu adstant in millia millium, et myriades myriadum subjiciuntur, et cujus majestati servientes tremunt, constituit sibi in ecclesia sancta sacerdotes de genere terrenorum, ut illi perpetuo sacerdotio sungerentur, eumque laudibus honorarent.

Oremus, Christe Deus omnium.

Tu ille es qui verbo tuo vivifico, et gratia tua divina jussisti omnibus sacerdotibus, ut diligenter attenderent, et se praepararent ad hoc sacerdotium ad quod praesentati sunt, et quod acceperunt.

Precemur, Christe Deus omnium.

Tu ille es propitiator delictorum, et condonator peccatorum, qui peccatrici remisti, et latroni propitiatus est, et Zacchaeum justificavit, Simeonem suscepit, et super David misericordia affectus est. Servo tuo huic parce, juxta vehementem sanctae tuae misericordiae affectum.

Oremus, Christe Deus omnium.

Tu es ille excelsus et tremefaciens superna, et ad cujus praesentiam inferna timore concutiuntur. Ipse est qui acceptat secundum misericordiam suam preces et orationes tuas, et dignos efficit nos omnes, qui miseramur et inferamur turmis et ordinibus eorum qui bona operantur.

Oremus, Christe Deus omnium.

Parce nobis secundum misericordiam tuam, et deduc nos secundum gratiam tuam, et pasce nos secundum benignitatem tuam, et perface stationem nostram, quae est in conspectu tuo, et suspice deprecationem nostram pro servo tuo hoc, psalmos quoque, et laudes, et invocationes, et proclamationem, et chirotoniam quam hodie accepit. Unam autem vocem trinam qua placatur divinitas tuas dignare nos emittere, tribus scilicet vicibus Kyrie eleison.

EXPLICIT.

***Ordo quo consecratur patriarcha.***

*Primum dicit clerus hunc hymnum* : Quia Dominus est spes nostra. Tunc loquurus est in visionibus cum justis suis, sanctis suis, et exaltavi electum de populo meo. Propter hoc unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae et gaudii, excellentius quam participes, socii tui.

*Unus autem ex episcopis legiit Acta.*

Dilecti, postquam praecepit esus apostolis quos elegerat per Spiritum-Sanctum, atque etiam seipsum demonstrasset eis post passionem in signis multis per dies quadraginta apparens eis, loquensque eis de regno Dei nec non cum eis panem manducans, praecepit eis ut de Jerusalem non discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam auditis a Johanne qui baptizavit in aqua ; vos autem baptizabimini Spiritu-Sanctitatis non post dies multos. Illi igitur cum convenissent, interrogaverunt eum dicentes ei : Num hoc tempore restitues regnum Israeli. Dixit eis ipse : non est vestrum hoc nosse tempus, aut tempora ea quae Pater posuit in potestate sua, sed cum venerit Spiritus Sanctus super vos, accipietis virtutem, et eritis mihi testes in Jerusalem, et omni Judaea, atque etiam Samaria, et usque ad fines terrae. Et cum orarent, dixerunt : Tu, Domine, nosti quod est in cordibus omnium, ostende virum quem ex eis elegisti, ut accipiat sortem ministerii apostolatus a quo discessit Judas, ut abiret in locum suum. Et jecerunt sortem, et ascendit in Mathiam, et adnumeratus est cum undecim apostolis. Et cum congregati essent omnes simul, factus est repente sonus de caelo velut Spiritus vehementis, et repleta est ex eo omnis domus in qua sedebant, et repleti sunt omnes Spiritu sanctitatis : Cum autem surrexisset Simeon Cephas, dixit : Viri, fratres, et omnes illi qui habitant in Jerusalem, hoc notum sit vobis, et ausultate verba mea : Jesus Nazarenus, homo qui erat a Deo visus est apud vos in virtutibus et in signis et praeclare factis, quae Deus fecit inter vos per manum ejus. Hunc ad hoc segregaverat Deus in praescientia et voluntate sua : Et ipse est qui dextra Dei exaltatus est, et accepit ab eo promissionem de Spiritu Sancto, et

effudit hoc donum quod videtis et auditis. Vobis autem et filiis vestris promissio facta est accipiendi donum Spiritus sancti. Tunc convocaverunt duodecim apostoli omnem congregationem discipulorum, et dixerunt eis : Inquirete igitur, fratres, et eligite septem viros ex vobis super quos sit testimonium, plenos Spiritu Domini, et Sapientia, et constituemus eos super hos opus ; nos autem perseverantes erimus in oratione et ministerio Verbi pro universo populo. Et elegerunt Stephanum virum plenum Spiritu-sancto, et Philippum, et Procorum, et Nicanorem, et Timonem et parmenam, et Nicolaum proselytum Antiochenum. Illos statuerunt in conspectum Apostolorum ; et cum orarent, imposuerunt eis manus. Cum autem audivissent qui in Jerusalem, quod accepisset populus Samariae Verbum Dei, miserunt ad eos Simonem Petrum et Johannem. Cum autem descendissent ad eos oraverunt super eos, ut acciperent Spiritum-sanctum. Videns autem Simon quod per impositionem manus Apostolorum dabatur Spiritus-sanctus, obtulit eis argentum, dicens : Date etiam mihi potestatem hanc, ut super quem manus imponam, recipiat Spiritum-sanctum. Dixit illi Simeon Petrus argumentum tuum tecum abeat in perditionem : quia putasti quod donum Dei possessionibus et divitiis saeculi comparatur. Non est tibi pars, neque sors in fide ista. Barnabas autem et Saul reversi sunt ex Jerusalem Antiocham, postquam confecerunt ministerium suum, et duxerunt secum Johannem, qui cognominatus est Marcus. Cum autem jejunarent et orarent Deum, dixit eis Spiritus-sanctus ; Separate mihi Saulem et Barnabam in opus ad quod eos vocavi. Et postquam jejunarunt, et orarunt, imposuerunt super eos manum, et dimiserunt eos. Illi autem missi a Spiritu-sancto descenderunt Seleuciam, et inde descenderunt per mare in Cyprum. Et dixerunt eis : Fratres accingite lumbos cogitationum vestrarum, et evigilate perfecte, et sperate in gaudium quod vobis in revelatione Domini nostri Jesu Christi adventurum est. Estote quoque sancti in omnibus actionibus et conversationibus vestris, ut ipse sanctus est, qui vocavit vos. Propterea dixit : Estote sanctis sicut et ego sanctus sum. Vobis itaque data est gloria ista qui credidistis. Dixit autem eis Petrus : Rogo eo presbyteros qui sunt inter vos, presbyter ego collega vester, et testis passionum Christi, et particeps gloriae quae revelanda est. Pascite gregem Dei, qui creditus est manibus vestris, et visitate illum spiritualiter, non violenter sed sponte, non propter lucra turpia, sed ex toto corde vestro, non ut Domini gregis, sed ita ut sitis bonum exemplar, ut cum apparebit princeps pastorum, accipiatis ab eo coronam gloriae quae non marcessit.

*Iterum legit episcopus alium Apostolum ex epistola ad Timotheum.*

Fratres, Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum praecedentes prophetias quae de te factae sunt, ut milites per eas militiam hanc bonam, in fide et conscientia bona. Fidelis est sermo : Si quis desiderat presbyteratum, opera bona desiderat. Debet igitur presbyter esse talis ut macula in eo non inveniatur, qui fuerit maritus unius uxoris, qui mente vigilet, castus fit et pudicus, moribus bene compositis, amans peregrinos, et doctor. Qui modum in vino non excedat, cujus manus ad percutiendum non currat :: sed sit humilis, non litigator, non pecuniae cupidus, bene regat domum suam, contineat filios suos in subiectione honesta cum omni puritate. Si quis enim domum propriam non novit regere, quomodo ecclesiam Dei regere poterit ? Nec fit puer disciplinae suae, seu Neophytus, ne extollatur et incidat in iudicium satanae. Oportet etiam ut testimonium bonum habeat ab iis qui foris sunt, ut non incidat in opprobrium et in laqueum satanae. Illi enim qui bene ministraverint, gradum bonum sibi ipsis acquirunt, et fiduciam multam in fide Jesu Christi. Fidele hoc est, et dignum quod accipiatur. Haec doce, et praecipe, et nemo contemnat juventutem tuam ; sed exemplar esto credentibus, in verbo et conversatione, et charitate, et fide, et puritate. Nec contemnes fidem quae est in te, quae data est tibi per prophetiam et impositionem manuum presbyterii. Cum enim haec perfeceris, te ipse vivificabis, et eos qui te audiunt. Seniores non increpabis, sed precaberis ut patrem, et juvenes ut fratres tuos, et anus ut matres tuas, juniores ut sorores tuas in omni castitate. Viduas honora, eas quidem quae vere viduae sunt. Adversus presbyterum accusationem non admittes, nisi in ore duorum vel trium testium. Eos qui

peccant coram omnibus argue, ut ceteri homines timeant. Testor ego tibi coram Deo, et Domino nostro Jesu Christo, et angelis ejus electis, ut haec conserves, nec ulla mens tua praeoccupetur, nec facias aliquid cum acceptione personarum. Manus subito super hominem non impones, ne communices peccatis alienis. Te ipsum conserva in castitate, ô Homo Dei. Curre et sequere justitiam, et puritatem, et fidem, et charitatem, et patientiam et humilitatem. Pugna autem agone bonum fidei ; apprehende vitam aeternam, quoniam ad haec vocatus es ; jamque confessus es confessionem bonam coram testibus multis. Attestor ego te coram Deo qui vivificat omnia, et Jesu Christo qui confessionem edidit coram Pontio Pilato, confessionem pulcherrimam, ut serves mandatum quod est sine macula, et sorde, usque ad revelationem Domini nostri Jesu Christi, qui est judicaturus vivos et mortuos : ipse est cui gloria in saecula saeculorum. Amen.

*Postea dicitur laudatio, et Patriarcha legit evangelium. Post lectionem autem evangelii sedet Patriarcha super thronum suum, et unusquisque episcoporum secundum gradum suum. Tunc offerunt ei illum qui ordinatur. Stat autem versus alam altaris ad latus dextrum, et cum jubet Patriarcha, legit volumen confessionis, quod prius manibus suis ipse scripserat. Et quum tradidit Patriarchae volumen quod scripsit, ut illud conservetur, episcopi adducunt eum coram altari, et flectit ambo genua, habens super se ornatum presbyteratus sui. Deinde cidarim ab eo detrahunt, usque ad tempus suum. Tunc Patriarcha surgit a sede sua, et accedit in conspectum altaris ; incipitque ministerium secundum. Dum autem precatur, dicunt hymnum Miserere ; Patriarcha vero dicit ordinem. Unus autem ex episcopis antiquioribus circumit cum thuris suffumigatione, et altare, et universam ecclesiam, eumquem comitantur duo presbyteri, et duo diaconi cum luminaribus et flabellis, dicuntque : Sanctus qui majestatem suam habitare facit super montem. Patriarcha dicit : Pax vobiscum. Populus : Et cum spiritu tuo. Tunc Patriarcha jubet uni ex episcopis, ut alta voce hoc edictum prononciat : Gratia divina, quae infirma sanat, et deficientia complet, quaeque curat ea quae ad ecclesiam spectant, vocat et ordinat hunc N. amantem Dei super gregem benedictum. Oremus igitur omnes, ut veniat super eum gratia et inhabitatio Spiritus sanctitatis. Clamemusque et dicamus tribus vicibus Kyrie eleison.*

*Patriarcha precatur, et imponit manus super corpus et super calicem, ut consummet, teguntque manus ejus cum velo. Postea revertitur ad eum qui ordinatur, easque imponit super caput ejus, ac ei aptat. Interea episcopi duo manibus suis sustinent librum sanctorum evangeliorum apertum super manus Patriarchae, et alii sustinent flabella super evangelium. Tunc Patriarcha attollit manus suas, et extendit brachia, eaque elevat et deprimit tribus vicibus super caput illius qui ordinatur. Tum vero episcopi cum manibus Patriarchae attollunt evangelium super manus illius, deprimuntque illud, et flabella similiter super evangelium, illaque commovent. Patriarcha autem precatur precationem invocationis Spiritus. Et dum consummat precatur iterum : Pax vobiscum. Populus : Et cum spiritu tuo. Postea Patriarcha sese inclinat ; deinde cum redierit ad eum qui ordinatur, episcopi attollunt evangelium et avertunt ab eo. Patriarcha signat eum, et dicit : Ordinatur in ecclesia sancta Dei. Respondent episcopi : N. Episcopus et metropolita ad ecclesiam sanctam urbis N. gregis benedicti.*

*Tunc apprehendit Patriarcha manum ejus dexteram, ut erigat eum ; et unus ex episcopis clamat, et dicit : Kyrie eleison. Et respondent : Kyrie eleison. Tunc Patriarcha imponit super caput ejus cidarim et dicit : In laudem et gloriam, et honorem, et exaltationem Trinitatis sanctae, et aequalis in substantia ; et in securitatem et aedificationem Ecclesiae sanctae Dei. Respondent episcopi, et universus clerus. Postquam autem vestivit eum, tunc deducunt eum ad sedem throni, atque ita collocant eum, ita ut facies ejus sit versus Occidentem. Deinde apprehendunt episcopi et sacerdotes sedem ejus, attolluntque eum et circumducunt tribus vicibus, et unaquaque vice incipit Patriarcha. Dignus. Et respondent post eum : Dignus et*

justus. *Tunc unus ex episcopis legit evangelium, et post evangelium alius ex episcopis alat voce pronunciat haec verba :*

Stemus pulchre omnes in oratione cum attentione et vocibus quae Deum nobis placatum reddant. Pro ecclesia sancta et unica, catholica et apostolica hac, quae a finibus orbis terrarum usque ad fines ejus Dominum rogemus. Pro hac congregatione nostra a Domino petamus, ut electio haec non sit offendiculo, sed gratiae, Dominum deprecemur. Pro episcopo hoc qui hic stat, Dominum supplicemus. Pro firma stabilitate ejus, et timore Domini qui est in Spiritu-sancto, Domino supplicemus. Ut placeat Deo sancto, oremus. Pro ecclesia quae ipsi commendata est, Dominum rogemus. Pro honestate et decore vitae et ejus tranquillitate et humilitate, et scientia recta et orthodoxa, Deum oremus. Ut nos omnes dignos reddat merito et victoria vocationis supernae, Dominum deprecepur. Omnes pro omnibus et pro invicem studiose, Dominum rogemus.

*Patriarcha orationem dicit Eucharisticam. Affertur baculus, cujus summitatem apprehendit Patriarcha, et super manum patriarchae apprehendit eum unusquisque ex episcopis juxta ordinem suum, et subter hos omnes apprehendit eundem baculum ille qui ordinatur. Patriarcha autem dicit voce et tono harmonico :*

Virgam fortitudinis mittet tibi Dominus ex Sion, et dominaberis inimicis tuis.

*Respondent episcopi et omnes clerici. Et post haec adducunt eum ad mensam vitae. Precatur autem Patriarcha et statim unus ex episcopis alta voce profert hanc litaniam, dum omnis clerus stat coram altari, et alternant cum antiphona :* Christe Deus omnium nostrum.

Stemus pulchre omnes ante eum qui in personis ex proprietatibus subsistentibus distincte non divisim trinus cognoscitur : In unitate vero substantiae et naturae, et honoris et potestatis una divinitas tantummodo intelligitur et creditur : scilicet Pater aeternus ante saecula, et Filius qui natus est sine principio ; et Spiritus-sanctus, qui neque quantus est, neque qualis, unus et solus Deus in Trinitate etiam adoratur, et Trinitas que qualis, unus et solus Deus in Trinitate etiam adoratur, et Trinitas in unitate ab omnibus naturis intelligibus et sensibilibus laudatur.

Oremus, Christe Deus noster.

Ille est cui cum timore et tremore ministrant qui sunt in altis et supremis sedibus, nempe throni in veritate confirmati, et cujus majestatem aspicere non audent. Attamen interea summos sacerdotes nostros dignatur communicatione, quum sacerdotio suo spirituali fungentes, unanimiter rebus omnibus excelsiore delectantur ; atque etiam eum in votis suis circumferunt, dum caeli et terra nutu voluntatis suae consistunt.

Oremus, Christe Deus noster.

Tu qui cum Patre senex es, et cum Spiritu-sancto es substantialiter divinitas, et principium deificationis illuminativum ; quique propterea quod humanitatem tuam amore prosequeris, cum hominibus conversatus es, et pontifex noster vocatus es, ministerium hoc episcopatus hominibus terrenis tradidisti, et qui officio sacerdotali funguntur, et qui episcopatum caelestem suscipiunt, et deificare, et perficere super terram declarasti.

Supplicemus, Christe Deus noster.

Tu qui piscatoribus scientiam dedisti, et idiotas per excellentiam cursus apostolici victoria donasti, et magnificasti ; episcopum istum quem elegisti, ut istas oves tuas pasceret, erudi praeterea divinis tuis donis, ut illuminationes tuas spirituales secundum veram tuam promissionem effundat, et oves tuas rationales abundantia effusione potus spiritualis alat et enutriet.

Oremus, Christe Deus noster.

Tu qui apostolos tuos sanctos instar solis in mundo exhibuisti, ut terram universam per rete et venationem doctrinae suae attraherent, et ad lumen cognitionis veritatis Theologicae admoverent, tu episcopum istum victoria extolle et magnifica, ut eos qui in tenebris ignorantiae sedent, illuminet, et ad lumen scientiae adducat.

Adoremus.

Pro securitate et concordia totius mundi fidelis : et pro conservatione ecclesiarum, et coenobiorum, et bono Pastorum statu, et incolumitate ; atque ut avertat Dominus Deus a terra et incolis ejus omnes plagas, et virgas furoris. Et pro defunctis qui ex aque et Spiritu nati sunt, et in rectitudine laudis, seu fide orthodoxa ad te discesserunt. Et pro multo isto, in nomine tuo sancto nobiscum congregato deprecemur. Fac nos mereri, Christe Deus noster, ut per hoc suum sanctum sacerdotium mysteriis plenum nos dignos reddat qui promereamur hoc perfectum donum, quo perfectionem perfecte consequamur, atque ut in ecclesia primogenitorum caelestium magno hoc sacerdotii ministerio fungamur, et laudem aeternam cum exultatione angelica offeramus, et cum omnibus sanctis spiritali gaudio gestientes, clamemus et ter dicamus Kyrie eleison.

*Post haec litaniam incipiunt, dicuntque hymnos cujusdam ex doctoribus qui nomen habet in Chirtonia celebre. Patriarcha autem et episcopi dant ei pacem, et reliquae congregationi dextera benedicunt. Pe\*osteia eum adducunt ad portam altaris, ubi universum populum obsignat chrismate, et ab eo circumitur populus, et sanctorum mysteriorum participatione donatur.*